«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (18)

4.7.2. De extentione abbatiae Ottiliensis domestica

4.7.2.1. De Ottilianis monasteriis in Bavaria conditis

4.7.2.1.1. De monasterio Sancti Ludovici sive Suarzacensi

Quomodo monasterium Sancti Ludovici in Franconiā situm anno 1901° conditum esset, breviter iam explicuimus.[1] Cum principalis scopus fundationis[2] fuisset in eo, ut homines vocationis ex regione Franconicā quŏque acquirerentur et Ottiliense seminarium scholare, quod nimis refertum erat, locum secundarium haberet, quo discipuli iuniores docerentur, primae actiones in monasterio Sancti Ludovici praesertim spectabant ad scholam instituendam. Itaque, quamvis condiciones locales non essent nimis locupletes, iam mense Iulio atque mense Augusto a. 1901ⁱ illud aedificium restaurabatur, quod alumnis destinatum erat.[3] Etiam in novo monasterio Sancti Ludovici res satis celeriter progrediebantur. Nam in fine mensis Augusti a. 1901ⁱ triginta discipuli ex seminario Ottiliensi unā cum praefecto F.re Ildefonso Rösser advēnērunt[4] et mense Septembri a. 1901ⁱ institutiones scholares classium inferiorum incohatae sunt.[5] Primi autem magistri erant P. Placidus Vogel, qui novae

---

1 *Cfr* supra cap. 3.4.1.2.

2 Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 133 scribit numerum crescentem monachorum Norberto Weber possibilitatem praebuisse, quā nova monasteria conderet, quā de causā īdem anno 1901° fundationem monasterii Sancti Ludovici permisisset. Tamen Norbertus Weber illo anno nondum erat abbas monasterii Ottiliensis et itaque huiusmodi permissio nondum ab ipso pendebat.

3 *Cfr* Stephan AMON: Von St. Ludwig nach Münsterschwarzach. In: Benediktinische Monatsschrift 27, 1951, p. 508; Gabriel VOGT: Abtei Münsterschwarzach. In: Frumentius RENNER (ed.): Der fünfarmige Leuchter. III. St. Ottilien 1990, p. 117; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, p. 25.

4 *Cfr* Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach in Franken. In: Frumentius RENNER (ed.): Leuchter II (^{2}1992), p. 60; Gabriel VOGT: Münsterschwarzach. In: Leuchter III (1990), p. 117; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 25; Stephan AMON (1951), p. 508.

5 Etiam nonnulli discipuli novi ex vicinitate exoriundi iam recepti erant. - Uti Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 60 refert, die 16° m. Aug. a. 1901° Superior Placidus Vogel magistratum regionalem Svinfurtiensem [*Schweinfurt*] adiit, quocum praeter alia etiam de institutionibus scholaribus incohandis collocutus est.

fundationi praeerat Superior, P. Hildebrandus Almendinger et P. Bruno Weinrich, quibus Villelmus Haefel parochus in scientiis naturalibus docendis adfuit.

Illa nova fundatio in regione, in quā sita erat, satis celeriter bonum statum sibi acquisivit. Nam non solum Patres ibi versantes in paroechiis circumcirca exstantibus vices parochorum gesserunt atque auxilium tulerunt, sed etiam seminarium numero discipulorum crescente brevi tempore auctum est.[6] Monachis autem ipsis ab vicinis iterum iterumque auxilium allatum est, ex. gr. in oeconomiā instituendā vel in victū comparando.[7]

Seminarium Sancti Ludovici.
[ASO, archivum imaginum: St. Ludwig.]

Abbati Norberto Weber satis mature in animo erat, ut fundatio filia Sancti Ludovici fieret sui iuris. Nam iam mense Maio a. 1904[i] ad Abbatem Primaten Hildebrandum de Hemptinne scripserat quaestionem exhibens, quā proprium novitiatum in monasterio Sancti Ludovici instituendum peteret, id quod solum in Prioratū conventuali fieri potest. Sed Hildebrando de Hemptinne haec cogitatio non ita placuit et satis aperte dissuasit.[8] Putavit enim īdem

---

6 Iam anno 1902° aedificium seminarii mutatum atque aptius redditum est. - *Cfr* Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 25; Stephan AMON (1951), p. 508.

7 Talis condicio, quā vicini semper ad auxilium practicum ferendum parati erant, saepius etiam in ipso coenobio Ottiliensi animadvertebatur.

8 *Cfr* epistula Hildebrandi de Hemptinne die 27 m. Maii a. 1904 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.2.2.1).

melius esse omnes novitios tantummodo in abbatiā Ottiliensi erudire atque instruere, cum, si monasteria sui iuris iuxta abbatiam Ottiliensem exstarent, multo maior numerus patrum esset necessarius, qui tunc ab ipsā missione abstraherentur. Propter finem missionarium generalem esse vitandum, ne fundationes ab abbatiā Ottiliensi factae, cum essent sui iuris, scopos speciales excolerent. Ea autem, quae Hildebrandus de Hemptinne de futuro statū Congregationis Ottiliensis cogitavit erant haec:[9] abbatia Ottiliensis ut monasterium centrale, quocum numerus quidam Prioratuum simplicium artē coniunctus esset, in quibus iuvenes (in seminariis) educarentur et veteres patres ex missione reversi vivere possent.[10]

Tamen Norbertus Weber hac repulsā conamina sua non deposuit, cum unā ex parte omnino aliam perceptionem rei haberet atque alterā ex parte alium scopum maiorem sequeretur. Nam postquam ex primo itinere Africano revertit,[11] rem iterum suscepit. Sed hac vice non frustra thema denuo proposuit. In fine enim anni 1906[i] Apostolica Sedes exhibuit decretum hŏc:[12] *«Ex audientia SS 10 Dec. 1906 SS. D.N. Pius X referente me infrascripto SCPF[13] Secretario, attentis commendationis litteris R.P.D. Abb. Primatis O.S.B., monasterium S. Ludovici apud Wipfeld Congregationis Ottiliensis eiusdem Ordinis, in dioecesi Herbipolensi erectum benigne evehere et constituere dignatus est in regularem ipsius Congregationis Ottiliensis Prioratum cum omnibus annexis iuribus et privilegiis, quae eiusdem Congregtionis Prioratibus competunt: dummodo in eo habeantur quae de iure et a respectivi Ordinis Constitutionibus ad id requiruntur, servatis praescriptionibus Ap.*

---

[9] *Cfr* epistula Hildebrandi de Hemptinne die 27 m. Maii a. 1904 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.2.2.1).

[10] Cyrillus SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, p. 88 hōc in conexū recte adnotat hanc perceptionem longe abesse ab systemate Benedictino, quo abbatiae sui iuris modo laxo inter se coniunctae sunt. Sed hunc in modum etiam demonstrari Congregationem Ottiliensem illo tempore existimatam esse ut consociationem missionariam, cui aspectus quidam monasticus esset et quae itaque sine difficultate dispositionem centralem consociationum missionariarum recentium suscipere posset. - Ceterum memoratū dignum mihi esse videtur hanc disputationem cum Abbate Primate factam esse, antequam mense Novemebri a. 1904[i] Congregatio Ottiliensis in Confoederationem Benedictinam recepta est (*cfr* supra cap. 4.2.).

[11] *Cfr* supra cap. 4.3.

[12] Decretum diei 10 m. Dec. a. 1906 ad Prioratum erigendum spectans (ASO, A.2.2.1). - Textus originaliter Latinus.

[13] SCPF: Sancta Congregatio de Propaganda Fide.

Constitut. F.R. Leonis XIII quae incipit Rom. Pont. aliisque de iure servandis praesertim quoad observationem clausurae papalis.»

Hunc in modum monasterium Sancti Ludovici in Prioratum conventualem canonice erigebatur.[14] Primus autem Prior - sicut exspectandum erat - factus est P. Placidus Vogel,[15] cum ab initio fuisset Superior novae fundationis. Primo conventui adnumerabantur praeter ipsum Priorem P. Volfgangus Wallner, P. Hildebrandus Almendinger, P. Bruno Weinrich, P. Osvaldus Friedl et P. Iosephus Damm.[16]

Etiamsi monasterium Sancti Ludovici ex illo tempore esset sui iuris, tamen diutius mansit «filia» abbatiae Ottiliensis. Nam omnibus in curis maioris momenti Prior ad abbatiam matricem se convertit, sive cum ageretur de quaestionibus aedificatoriis sive de quaestionibus monachorum cooperatorumque. Saepe etiam monachi ex abbatiā Ottiliensi ad Prioratum Sancti Ludovici mittebantur, ut ibīdem cooperarentur (interdum in perpetuum, saepe solum ad tempus).

Quamvis Prior Placidus Vogel nonnullis in rebus solum cunctanter atque Norberto Weber instigante egisse videretur,[17] tamen numerus monachorum et

---

[14] *Cfr* Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 62; Gabriel VOGT: Münsterschwarzach. In: Leuchter III (1990), p. 117; Leander BOPP: St. Ottilien fünfzig Jahre Abtei (1952), p. 64 [typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum]; Godfrey SIEBER (1992), p. 41; Stephan AMON (1951), p. 509; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 89; Paulus WEISSENBERGER: Das benediktinische Mönchtum im 19./20. Jahrhundert (1800-1950). Beuron 1953, p. 69 nr 423. - Frumentius RENNER: Die Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (edd.): Germania Benedictina I. St. Ottilien 1999, p. 806 et Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 26 ipsum factum commemorant anno non indicato.

[15] P. Placidus Vogel natus erat anno 1871° in dioecesi Eichstetiensi [*Eichstätt*], ubi inter annos 1881um et 1886um gymnasium humanisticum frequentavit et deinde ab anno 1887° usque ad annum 1889um seminarium Ottiliense. Anno 1889° in novitiatum receptus est et mense Augusto a. 1891^{i} prima vota protulit, anno 1895° sacerdotio auctus est. Paulo post P. Andreas Amrhein seminarium Ottiliense ei tradidit, cuius praepositus erat, usque dum ad monasterium Sancti Ludovici condendum missus est. - De eius vitā *cfr* Gabriel VOGT: Münsterschwarzach. In: Leuchter III (1990), p. 115 sqq.; Godfrey SIEBER (1992), p. 41.

[16] *Cfr* Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 62.

[17] Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, pp. 126 sq. nonnullis epistulis ex commercio epistulari Placidi Vogel et Norberti Weber depromptis, quae in archivo Suarzacensi asservantur, ex. gr. monstrat Placidum Vogel anno 1906° (ante erectionem

numerus discipulorum in seminario studentium constanter auctus est. Eā de causā omnino necessarium erat, ut Prioratus, etiam quod attinebat ad aedifi-

Novum aedificium monasterii Sancti Ludovici.
[ASO, archivum imaginum: St. Ludwig.]

cia, mutaretur atque amplificaretur. Itaque conventus monasterialis die 9º m. Iul. a. 1907º novum aedificium monasterii erigendum constituit, similiter de ecclesiā monasteriali aedificandā decretum est.[18] Huius ecclesiae lapis fundamentalis Kal. Sept. a. 1907º positus est et éadem post construendi tempus duorum annorum denique Kal. Iul. a. 1909º benedicta et usui tradita est, quam benedictionem episcopus Herbipolensis Ferdinandus von Schlör praebuit.[19]

Prioratūs) de bono effectū fundationis dubitavisse atque desperavisse, Norbertum Weber alterā ex parte apertis verbis lamentationes refutavisse atque consilia ad condiciones meliorandas dedisse. Tamen Norbertus Weber exspectavit Superiorem ipsum gressūs aptos facturum esse (epistula die 13 m. Oct. a. 1906 data).

[18] *Cfr* Gabriel VOGT: Münsterschwarzach. In: Leuchter III (1990), p. 117; Stephan AMON (1951), p. 508; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 26; Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 63, qui diem benedictionis indicat fuisse diem 31um m. Iul. a. 1909º.

[19] Placidus Vogel videtur in initio nova aedificia erigenda recusavisse afferens sibi nullam pecuniam esse. Respondebat autem ei Norbertus Weber epistulā die 16º m. Mart. a. 1907º datā abbatiam Ottiliensem nihil dare valere, sed Prioratum Sancti Ludovici esse sui iuris, quā de causā Prior suā sponte agere deberet. Res autem, quae ad monasterium pertinerent ad vitam regularem degendam, etiam adesse debere. Ad talem condicionem

Cavaedium monasterii Sancti Ludovici.
[ASO, archivum imaginum: St. Ludwig.]

Tamen in Prioratū Sancti Ludovici quaedam difficultates maioris momenti manserunt. Agebatur enim de oeconomiā non satis amplā, quā vita cottidiana et monachorum et alumnorum sustentari posset. Die autem 13° m. Dec. a. 1912° ager quidam fere sex hectariarum emi quidem potuit, qui ciricter unā horā ab monasterio distabat,[20] sed īdem ad indigentias explendas non suffi-

---

efficiendam etiam aes alienum contrahere licere. - *Cfr* Johannes MAHR (2003), pp. 126 sq.
Tamen Norbertus Weber auxilium praebuit, cum die 9° m. Mart. a. 1907° petitionem Romam misit hanc: *«Norbertus Weber ... petere audet, ut ipsi benignissime concedatur Prioratum ad S. Ludovicum O.S.B., ad Congregationem Ottiliensem pertinentem et in dioecesi Herbipolensi situm, aere alieno usque ad 60000 marcas gravare et ad hanc petitionem faciendam haec sequentia exponit: Dictus Prioratus ad S. Ludovicum praeter familiam monasticam, quae ex 25 personis consistit, habet Seminarium cum 90 fere alumnis pro Missionibus educandis necnon hortum et aliquem fundum. Nullo omnino aere alieno est gravatus; sed deest adhuc ecclesia, quae his condicionibus respondeat. Quamvis autem aliquot pecunia in dicto Prioratu adsit, tamen nec sufficit nec a Matrecoenobio sufficere potest. Cum autem ecclesia exstruenda urgeat, nec diutius disciplina et cultus in dubium vocentur, hum. Orator orat, ut E.V. his precibus benigne annuere dignetur.»* (ASO, A.2.2.1). - Textus originaliter Latinus. - Ceterum hŏc aes alienum contrahere concedebatur.

[20] *Cfr* Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Leuchter II ([2]1992), p. 64.

ciebat. Generaliter autem circumcirca monasterium Sancti Ludovici possibilitates deerant, quibus Prioratus et quoad oeconomiam et quoad plura maioraque aedificia extendi potuit.



Conspectus monasterii Sancti Ludovici unā cum ecclesia.
[ASO, archivum imaginum: St. Ludwig.]

Itaque duodecim annis post fundationem incohatam hŏc problema monachi solvendum serio aggredi debuerunt, cum viderent ipsum locum, ubi Prioratus Sancti Ludovici situs erat, in futurum prosperitatem praebere non posse.[21] Sed paulatim et gradatim solutioni appropinquabatur. Nam decursū mensis Iulii a. 1913[i] Prior Placidus Vogel et P. Paulus Sauter, qui rei agrariae erat peritissimus, erant in quaerendo, ut praedium oeconomiae aptum satisque latum invenirent. In fine autem eiusdem mensis fortuna eos arisit. Inciderunt enim in aream satis latam veteris monasterii Suarzacensi,[22] quod iuxta Moenum situm erat et circiter triginta chiliometris ab Prioratū Sancti Ludovici aberat.

Monasterium Suarzacense historiam circiter mille annorum habuerat, ante-

---

[21] Cum Prior Placidus Vogel nescivisse videretur, quomodo problema extentionis solveret, abbas Norbertus Weber eum secum sumpsit in visitationis itinere Coreano, ut ampliorem conspectum sibi acquireret atque videret, quomodo alii facerent. - *Cfr* supra cap. 4.6.2.
Cfr etiam ex. gr. Gabriel VOGT: Münsterschwarzach. In: Leuchter III (1990), p. 117, qui rem breviter cauteque tangens scripsit Placidum Vogel conspectū missionis mundanae acquisito fundationem novam constituisse.

[22] *Münsterschwarzach*.

quam anno 1803° sicut multa alia monasteria saecularizatione, quae dicitur, dissolvebatur et area aedificiaque vendebantur.[23] Iam primus novus possessor



Vetus monasterium Suarzacense.
[Missionsblätter 18, 1914, p. 176.]

ecclesiam barocam, quam Balthasar Neumann construxerat, prorsus delendam curavit et aedificia monasterialia magnā ex parte destruxit. Deinde brevibus spatiis temporis interpositis unus possesor alterum sequebatur, id quod possesioni scilicet non nimis bene convēnit. Cum denique Benedictini Ottiliani apparerent, praedium pertinebat ad familiam equestrem nominis Cost.

Areā autem inspectā emptio satis celeriter transacta est. Nam die 28° m. Iul. a. 1913° conventus monasterii Sancti Ludovici praedium emere decrevit et die 30° m. Mart. a. 1913° abbas Norbertus Weber ipse praedium inspexit, unde cognoscitur progressus quŏque Prioratūs Sancti Ludovici ipsi magni momenti fuisse. Denique die 31° m. Mart. a. 1913° contractus emptionis

[23] De primā historiā Suarzacensi *cfr* ex. gr. fusius Carl WOLFF: Die Abtei Münsterschwarzach in ihren Beziehungen zu anderen Benediktinerklöstern im Laufe der Geschichte. In: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, pp. 280 sqq.; brevius Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), pp. 26 sq.; Godfrey SIEBER (1992), p. 41.

Ectypus veteris monasterii Suarzacensis.
[ASO, archivum imaginum: St. Ludwig.]

subscribebatur[24] et praedium unā cum aedificiis reliquis pretio trecentorum quinquaginta milium marcarum in possessionem Benedictinorum transiit.[25]

Domus portaria, in qua prima cappella instructa erat.
[ASO, archivum imaginum: St. Ludwig.]

---

[24] *Cfr* Stephan AMON (1951), p. 509; Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Leuchter II ([2]1992), p. 64; Gabriel VOGT: Münsterschwarzach. In: Leuchter III (1990), p. 118; Johannes MAHR (2003), p. 137. - Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 27 et Godfrey SIEBER (1992), p. 41, qui solum annum indicant. Indicia emptionis etiam inveniuntur in periodicis, quae sunt Missionsblätter 18, 1913/14, pp. 175 sqq. et Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige 34, 1913, pp. 794 sq. Utroque autem loco explicatur causa emptionis, id est indigentia oeconomiae amplioris, sed nondum commemoratur translatio ipsius monasterii verisimiliter iam praedisposita.

[25] Fama popularis in regione Suarzacensi inde ex tempore saecularizationis vigebat Benedictinos aliquando reversuros esse.

Magna autem pars patrum fratrumque ex monasterio Sancti Ludovici iam anno 1913° ad novam possessionem transmigravit, ut ibīdem opera cum fundatione coniuncta incoharent.[26] Nam etiamsi locus iam aliquando fuerat

Novum aedificium monasterii Suarzacensis paene confectum.
[ASO, archivum imaginum: St. Ludwig.]

monasterium,[27] tamen plurima erant facienda, ut ad novum scopum atque ad vitam monasticam adaptaretur. Restabant enim ex vetere monasterio Suarzacensi tantummodo domus portaria (ex anno 1652°), pars aedificii hospitum (ex anno 1627°), molina monasterialis (ex anno 1750°) et quaedam aedificia vetera oeconomiae. Haec omnia non solum erant reficienda, sed etiam nova erant aedificanda.

Sic in superiore tabulato domūs portariae cappella instruebatur, quae ab initio etiam cooperatoribus laicis atque incolis vici erat accessibilis. Monachi ipsi in initio in vetere molinā monasteriali habitaverunt, ubi etiam culinam atque refectorium habuerunt. Sed etiam oeconomia excolenda erat et imprimis necessarium erat, ut aedificium novum exstrueretur, quod fieret ipsum monasterium. Putandum enim est, cum in nova fundatione etiam ageretur de possibilitate extentionis, quae in Prioratū Sancti Ludovici non iam data erat,

---

[26] *Cfr* Godfrey SIEBER (1992), p. 41; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation (1999), p. 806. - Placidus Vogel adhuc in Prioratū Sancti Ludovici remanserat.

[27] Ceterum novum monasterium Suarzacense erat unicum ex monasteriis Congregationis Ottiliensis, quod in reliquiis alicuius veteris monasterii fundebatur atque exstruebatur.

Monasterium Suarzacense unā cum domo portariā.
[ASO, archivum imaginum: St. Ludwig.]

ab initio imprimis ab abbate Norberto Weber de translatione monasterii in locum Suarzacensem cogitatum esse. Itaque annis insequentibus aedificia monasterialia exstructa sunt, ita ut fundatio Suarzacensis denique ad destinationem suam duci posset.



Photochartula anni 1916[i]*,*
qua conspectus monasterii Suarzacensis illius temporis continetur.
[ASO, archivum imaginum: St. Ludwig.]

4.7.2.1.2. De monasterio Swikkersperchiensi

Non diu postquam initium monasterii Sancti Ludovici factum est, abbas Norbertus Weber alteram novam fundationem Germanicam instigavit. Deliberatio autem erat éadem ac in Sancti Ludovici fundatione Franconicā. Nam unā ex parte locus quaerebatur, quo ab matricoenobio distante ex aliā regione homines vocationis monasticae missionariaeque invenirentur, alterā ex parte necessarius erat locus, in quo aliud seminarium scholare institueretur, ut plures discpuli recipi possent.[28] Tamen illa duo puncta artē cohaerebant. Sed Norbertus Weber insuper iam satis mature cogitavisse videtur de quaestione, quomodo Congregationem Ottiliensem reddendam curare posset Congregationem ab regimine Bavarico acceptam ut omni ex parte ratam habitam, sui iuris atque exemptam. Haec erat alia causa, cur secunda fundatio in Bavariā desideraretur.

Nova autem fundatio in Bavariā Inferiore sita fore praecogitabatur, ut esset satis magna distantia et ab abbatiā Ottiliensi et ab monasterio Sancti Ludovici. Non enim fuisset opportunum singula monasteria inter se aemulari, id quod nimia propinquitate facile fieri potuisset. Historia autem, quā agitur de initio novae fundationis, iterum est satis mirabilis.

Cum iam inde ab initio anni 1903[i] de alterā fundatione Bavaricā cogitaretur, singuli patres fratresque, qui modo ex aliquā causā in itinere erant, de locis aptis circumspexerunt. Quia dioecesis Ratisbonensis, ubi Norbertus Weber primo propter monasterium fundandum interrogaverat, incepto non favit, abbas Ottiliensis ad dioecesim Passaviensem se convertit.[29] Ibīdem episcopus

---

[28] *Cfr* Hartmut MADL: Pater Coelestin Maier (1871-1935). Gründerabt des Missionsklosters Schweiklberg und Apostolischer Administrator in temporalibus der Kongregation der Missionsbenediktiner von St. Ottilien. Winzer 1999, p. 80; Dietram FÄRBER: Schweiklberg in Niederbayern. In: Leuchter II ([2]1992), p. 79; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 30; Thomas GRAF: Entwicklung und Ziele einer modernen Missions-Benediktinerabtei. Gedanken zur Gründung und zum Wachstum der Abtei Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 182; Benediktiner-Abtei Schweiklberg (libellus periegeticus cum prooemio Thomae Graf). St. Ottilien s.a., p. 3; Herbert FOLGER: Swikkersperch. Beiträge zur Geschichte Schweiklbergs und des Landkreises Vilshofen in Niederbayern. Schweiklberg 1954, p. 85.

[29] *Cfr* Michael HARTIG: Die Niederbayrischen Stifte. München 1939, p. 121; Hartmut MADL (1999), p. 80; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 182.

Antonius von Henle se rei assensurum esse significavit.[30]

Tamen locum ad condendum aptum invenire Ottilianis non ita facile erat: Primo enim putaverant unum ex monasteriis saecularizatione sublatis emere idoneum esse. Itaque plura loca inspiciebantur, velut Sancti Mauritii monasterium Altachii Inferioris,[31] Sancti Petri monasterium Altachii Superioris,[32] monasterium Cellae Ducalis,[33] Praemonstratensium monasterium Sancti Salvatoris. Sed haec omnia propter pessimum statum aedificatorium vel propter emptionis summam pecuniariam nimiam denique non vēnērunt in quaestionem.[34] Erat autem aliud monasterium prope Vilshofiam[35] situm, id est pristina abbatia Cisterciensium Aldespacensis,[36] in quo Ottiliani se bonum opportunumque locum invenisse putaverunt. Aream aedificaque pretio satis modesto emere potuissent, problemata inhabitantium non nimis difficulter solvere valuissent, episcopus regimenque incepto non obstiterunt.[37]

Itaque in fine anni 1903[i] unā cum P.re Paulo Sauter abbas Norbertus Weber, cui haec quŏque fundatio magni momenti fuisse videtur, ipse ad condicionem inspiciendam probandamque advēnit. Omnia satis bene se habere videbantur

---

[30] Cum Antonio von Henle Ottiliani iam agendum habebant illo tempore, quo īdem adhuc esset vicarius generalis dioecesis Augustanae (antequam episcopus Passaviensis factus est).

[31] Altachium Inferius: *Niederalteich*. - *Cfr* Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER: Bavaria Latina. Lexikon der lateinischen geographischen Namen in Bayern. Wiesbaden 1971, p. 62.

[32] Altachium Superius: *Oberalteich*. - *Cfr* Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 61.

[33] Cella Ducalis: *Fürstenzell*. - *Cfr* Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 100.

[34] *Cfr* Hartmut MADL (1999), p. 81; Herbert FOLGER (1954), p. 87; Michael HARTIG (1939), p. 121; Matthäus KROISS: Lebensbilder aus Schweiklberg. Konturen eines Konvents. In: Leuchter III (1990), p. 204; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 30; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 182.

[35] Vilshofia: *Vilshofen*. - *Cfr* Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 242.

[36] Alderspacum: *Aldersbach*. - *Cfr* Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 59.

[37] Alderspacum solum commemorant Matthäus KROISS: Lebensbilder. In: Leuchter III (1990), p. 204; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 30; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 182; Benediktiner-Abtei Schweiklberg (s.a.), p. 5. - Conexum conaminis Alderspacensis breviter explicant Johannes MAHR (2003), p. 114; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 89; Michael HARTIG (1939), p. 121; Herbert FOLGER (1954), p. 87. - Fuse atque singillatim de conamine Alderspacensi refert Hartmut MADL (1999), pp. 81 sqq.

- praeter unam rem: nam media in area, quae bonis condicionibus emi potuit, situm erat praedium alicuius agricolae, qui variis conaminibus plus minusve apertis persuaderi non potuit, ut possessionem suam venderet, quae tamen Ottilianis necessaria fuisset ad monasterium convenienter condendum.[38] Hunc in modum consultationes protractae sunt usque in initium anni 1904[i]. Tamen in fine totum conamen in irritum cecidit.

Sed illud conamen frustra susceptum nihilominus effectum quendam positivum habuit. Nam sic publice innotuit Benedictinos Ottilienses locum ad monasterium condendum quaerere, quā de causā imprimis F.ri Nicolao Falk, qui in Bavariā quŏque Inferiore ad calendaria missionaria vendenda saepe itinerabatur, varia loca indicabantur, quae fortasse essent apta.[39] Hunc in modum praedium Swikkersperchiense[40] in conspectum Ottilianorum vēnit, quod non longe ab oppido Vilshofiā distans in colle quodam situm erat.[41] Ad rem inspiciendam iterum abbas Norbertus Weber ipse advēnit et etiam paucis diebus post P. Coelestinus Maier, Prior monasterii Ottiliensis. Utrique locus ad condendum aptus esse videbatur.

---

[38] Ad plures consultationes instituendas Alderspacum etiam missus est P. Coelestinus Maier, qui praeterea fratrem suum Antonium, virum rerum oeconomicarum peritissimum, accivit.

[39] *Cfr* Hartmut MADL (1999), pp. 85 sq.; Herbert FOLGER (1954), p. 87; Johannes MAHR (2003), p. 114.

[40] Nomen Latinum huius loci nullo in documento invenītur, neque in vetustioribus neque in recentioribus Vaticanis. Scilicet etiam in Latinis lexicis geographicis hic locus non indicatur, cum actum sit de praedio privato.
Herbert FOLGER (1954), pp. 64 sq. explicat, quomodo ex primo nomine, quod in documento anni 1263[i] legitur et quod erat *«Swikkersperch»* (ceterum erat documentum Latine scriptum) decursū saeculorum mutatione loquelari et mutatione scripturae denique factum sit *«Schweiklberg»*. - Nomen autem significat montem sive collem (*«perch»*), in quo *«Swikker»* quidam (cum sit forma praenominis) sive habitationem condidit sive contractūs condendi iniit.
Ad nomen Latinum confingendum, quod est Swikkersperchium, primum nomen, quod in documentis scriptum apparet, adhibui.

[41] Primā vice, quā Swikkersperchium in documento quodam scripto apparet, erat anno 1263[o], quo praedium monasterio Alderpacensi donatum est. Anno autem 1451[o] ĭdem venditione denuo in manūs privatas vēnit. Annis saeculisque insequentibus sortem variam habuit, sed imprimis saeculo duodevicesimo praedium brevibus intervallis interpositis plures possessores habuit. - De historiā Swikkersperchiensi *Cfr* imprimis Herbert FOLGER (1954), pp. 66 sqq.; sed etiam Hartmut MADL (1999), pp. 90 sqq. et brevissime Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II ([2]1992), p. 79.

Sed re ab Ottlianis generaliter decretā emptio nondum erat perfecta. Iterum quaedam vicissitudines sunt referendae. Nam illo tempore praedium venale quidem prostabat, sed duae difficultates exstabant: unā ex parte praedii possessor locumtenens Elmarus Schiff, vir protestanticus, rem suam neque monasterio cuidam neque parocho catholico vendere voluit, alterā ex parte lex amortizationis[42] adhuc obstabat, quā possessiones fundorum ex «manibus saecularibus» ecclesiae vendere sive vetitum sive obstrictum erat. Itaque emptor quidam intermedius inventus est, qui erat Caietanus von Kiesling, possessor alicuius bracīnae Decheldorpiensis.[43] Etiam P.ris Coelestini Maier frater Antonius, ille vir rerum oeconomicarum peritissimus, ut mediator iterum auxilium tulit.[44] Abbas Norbertus Weber eodem tempore assensionem episcopi Passaviensis acquirere conatus est, quā īdem fundationem probaret, sed responsum definitivum non accepit.[45] Tamen Ottilianis agendum erat.

Itaque abbas Norbertus Weber unā cum Antonio Maier atque Caietano von Kiesling die 27º m. Oct. a. 1904º Vilshofiam vectus est, ubi apud notarium (abbate non praesente) contractus venditionis inter Elmarum Schiff et Caietanum von Kiesling subscriptum est.[46] Praedium summā nonaginta duorum milium marcarum in possessionem Caietani von Kiesling transiit. Proximo autem die, id est die 28º m. Oct. a. 1904º, fundus eādem summā pecuniariā apud notarium transcriptione in possessionem abbatiae Ottiliensis transiit.[47] Hunc in modum Ottiliani aream ad novum monasterium condendum accepe-

---

[42] *Cfr* Johann Paul BAUER: Lexicon terminorum iuridicorum et politicorum nostrae aetatis. Saarbrücken 2008, p. 15: s.v. Amortisation: amortizatio, -onis *f.* - Haec lex etiam dicitur lex de non admortizando.

[43] Decheldorpium: *Deggendorf.* - *Cfr* Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 112.

[44] De his conexibus *cfr* Hartmut MADL (1999), p. 87; breviter etiam Matthäus KROISS: Lebensbilder. In: Leuchter III (1990), p. 204; Johannes MAHR (2003), p. 115.

[45] Ut Hartmut MADL (1999), pp. 87 sq. refert, Norbertus Weber illo tempore bis Passaviae versabatur, quia episcopo rem in colloquio exhibere voluit. Sed eum ibīdem contingere non valuit. Deinde epistulariter episcopum adiit, cum res esset urgens. Episcopus Antonius von Henle denique telegraphemate die 2º m. Oct. a. 1904º misso scripsit se aliquid de hac re dicturum esse, cum éadem officialiter ad ipsum perferretur.

[46] *Cfr* Hartmut MADL (1999), p. 88 fontibus indicatis. - Michael HARTIG (1939), p. 121 non ita convenienter scribit P.rem Coelestinum Maier die 27º m. Oct. a. 1904º praedium ab Elmaro Schiff emisse.

[47] *Cfr* Hartmut MADL (1999), p. 89 fontibus indicatis.

rant,[48] quā de causā Norbertus Weber eodem die telegraphema ad abbatiam mittere potuit, quo legebantur verba Latina, quae sunt *«Fundatio perfecta»*.[49]

Cum autem Ottiliani praedium susciperent, ĭdem constitit ex areā duodetriginta semis hectariarum atque ex nonnullis aedificiis, inter quae vetus villa, domus quaedam cum stabulo, horreum variaque alia aedificia minora erant, quae pleraque ad oeconomiam pertinebant.[50] Sic bonus progressus fundationis exspectari potuit, et sub aspectū oeconomico, cum agri prataque satis bonam qualitatem haberent atque praeterea possibilitates extendendi exstarent, et sub aspectū monastico missionarioque, cum illo tempore esset unicum institutum missionarium totā in Bavariā Inferiore.

Vetus villa Swikkersperchiensis.
[ASO, archivum imaginum: Schweiklberg.]

Ut fundatio Swikkerperchiensis revera

---

[48] *Cfr* Herbert FOLGER (1954), p. 87; Matthäus KROISS: Lebensbilder. In: Leuchter III (1990), p. 204; Frumentius RENNER: Mutterabtei St. Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 11, ad. 13; Hartmut MADL (1999), p. 90; Benediktiner-Abtei Schweiklberg (s.a.), p. 5. - Solum annum 1904um indicant Chrysostomus SCHMID: Erzabt Norbert Weber. In: Benediktinische Monatsschrift 32, 1956, p. 219 (*cfr* Chrysostomus SCHMID: Ansprache beim Trauergottesdienst, p. 2 [typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum, ASO, A.1.8.1]; Godfrey SIEBER (1992), p. 47. - Praedium emptum esse mense Octobri a. 1904^{i} scribit Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 79. - Diem 27um m. Oct. a. 1904° non omnino correcte exhibent Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 183; Michael HARTIG (1939), p. 121. - Matthäus KROISS: Abtei Schweiklberg. In: Leuchter III (1990), p. 197 mirum in modum diem 22um m. Oct. a. 1904° indicat, cum alibi rem recte exhibeat. - Johannes MAHR (2003), p. 115; Cryill SCHÄFER (2005), p. 89 scribunt praedium mense Octobri a. *1903^{i}* emptum esse hunc in modum falsum annum indicantes.

[49] *Cfr* Chron. Ottil. m. Oct./Nov. a. 1904; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 11, adn. 13; Hartmut MADL (1999), p. 90.

[50] *Cfr* Hartmut MADL (1999), p. 92; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 184; Herbert FOLGER (1954), p. 87; Benediktiner-Abtei Schweiklberg (s.a.), p. 5.

incohari posset, Norbertus Weber iam die 4° m. Nov. a. 1904° licentiam regiminis petivit, sine quā officialiter nihil fieri potuit. Tamen mense Ianuario a. 1905ⁱ iam illos destinavit, qui primi fundatores Swikkersperchium

Villa Swikkersperchiensis cum aedificio oeconomiae.
[ASO, archivum imaginum: Schweiklberg.]

transirent. Superior novae fundationis praevisus erat P. Coelestinus Maier, qui inde ex anno 1903° Prior abbatiae Ottiliensis fuerat et cui indoles omnino practica et bona facultas rerum praeordinandarum erat.[51] Īdem autem erat unicus pater, qui ad primum gregem pertinebat. Eum comitaturi erant Fr. Nicolaus Falk, Fr. Godefredus Habermeier, Fr. Raphael Bierl, Fr. Hartvigus Hammermüller et Fr. Pachomius Dieml.[52]

---

[51] Coelestinus Maier (cuius nomen baptismale erat Iohannes Baptista) natus erat die 9° m. Iun. a. 1871° in Bavariā Inferiore. Mense Iulio a. 1888ⁱ Consociationi Ottiliensi se adiunxit, anno 1891° prima vota protulit et anno 1895° studiis superatis sacerdotio auctus est. In monasterio Ottiliensi praeter alia munere procuratoris atque praefecti operariorum functus est, deinde anno 1896° etiam munus cellerarii suscepit. Postquam Norbertus Weber abbas electus est, Coelestinum Maier anno 1903° Priorem abbatiae reddidit. - De vitā Coelestini Maier fuse atque singillatim Hartmut MADL (1999), pp. 19 sqq.; brevius Matthäus KROISS: Lebensbilder. In: Leuchter III (1990), pp. 202 sqq.; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 184.

[52] *Cfr* Hartmut MADL (1999), p. 96; Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 79; Herbert FOLGER (1954), p. 87, qui nomina indicant. - *Cfr* etiam Michael

Quamvis officialis licentia regiminis nondum allata esset,[53] primus grex fundatorum die 29° m. Ian. a. 1905° Swikkersperchium transmigravit, ut participes ibīdem operari inciperent.[54] Die 12° m. Febr. a. 1905° denique licentia regiminis allata est[55] et die 16° m. Febr. a. 1905° episcopus Passaviensis fundationem approbare dignatus est.[56]

Tunc opera revera incohari potuerunt. Initium autem - sicut talibus in fundationibus esse solet - variis ex causis, inter quas quaestiones administrativae, dissensiones cum ordinariatū episcopali, pecunia deficiens erant, non erat facile. Primo monachi in vetere villā habitationem sumpserunt. Sed omnino necessarium erat, ut varia aedificia, quae ad monasterium pertinerent, erigerentur. Tamen Superior P. Coelestinus Maier non sine diligentissimā praedeliberatione tale opus magnum instituere voluit. Itaque Michaelem Kurz architectum, qui iam in Ottiliensi ecclesiam abbatialem exstruendam incubuerat,[57] adiit, ut īdem consilia apta atque convenientia exararet, quibus

---

HARTIG (1939), p. 121; Matthäus KROISS: Abtei Schweiklberg. In: Leuchter III (1990), p. 197; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 30; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 184.

53 Ut Frumentius RENNER: Entwicklung. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 11 adn. 13 et Hartmut MADL (1999), p. 98 indicant, licentia regiminis iam die 23° m. Ian. a. 1905° praebita est. Sed hoc factum Ottiliensibus nondum innotuerat.

54 *Cfr* Hartmut MADL (1999), p. 96; Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 79; Matthäus KROISS: Abtei Schweiklberg. In: Leuchter III (1990), p. 197; Matthäus KROISS: Lebensbilder. In: Leuchter III (1990), p. 204; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 30; Godfrey SIEBER (1992), p. 47; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 181; Benediktiner-Abtei Schweiklberg (s.a.), p. 5. - Johannes MAHR (2003), p. 115 refert Coelestinum Maier die 28° m. Ian. a. *1904*^{i} Swikkersperchium missum esse. Sed annus in hōc indiciō non quadrat, quia mense Ianuario a. 1904^{i} praedium Swikkersperchiense ab Ottilianis nondum erat emptum.

55 *Cfr* Hartmut MADL (1999), p. 98 fonte indicato; Frumentius RENNER: Entwicklung. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 11 adn. 13 de die 11° m. Febr. a. 1905° scribit; Leander BOPP (1952), p. 64 solum mensem Ianuarium a. 1905° indicat.

56 *Cfr* Frumentius RENNER: Entwicklung. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 11 adn. 13; Hartmut MADL (1999), p. 100 adn. 85, qui adnotat licentiam episcopalem denique die 20° m. Febr. a. 1905° Swikkersperchium allatam esse. *Cfr* etiam documenta, quae Hartmut MADL (1999), in annexu pp. 471 sq., tab. 19 exhibet.
Cur episcopus Antonius von Henle tam retardato modo egerit et cur īdem interea erga Ottilianos offensus se gesserit, non satis clarum est. Hartmut MADL (1999), p. 98 suspicatur eidem locum fundationis displicuisse, quia Passaviae nimis propinquus erat.

57 *Cfr* supra cap. 3.5.1.

totus complexus aedificiorum monasterialium includeretur.[58] Consilia architecti comprobata decursū annorum ita, ut proposuerat, etiam ad effectum adducta sunt.

Cum autem unus ex scopis principalibus novae fundationis esset schola missionaria, aedificium seminarii erat primum, quod exstruebatur. Itaque in initio mensis Augusti a. 1905[i] aedificium scholare exstrui iam coeptum est,

Seminarium Swikkersperchiense in statū aedificandi (ex parte cavaedii receptum). [ASO, archivum imaginum: Schweiklberg.]

quod fore satis amplum provisum erat.[59] Labores vero satis celeriter progrediebantur, ita ut abbas Norbertus Weber Kalendis Ianuariis a. 1907[i] cappel-

---

[58] *Cfr* Hartmut MADL (1999), p. 117; Michael HARTIG (1939), pp. 121 sq.; Herbert FOLGER (1954), p. 88; Matthäus KROISS: Lebensbilder. In: Leuchter III (1990), p. 204; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 185.

[59] *Cfr* Missionsblätter 10, 1905/06, pp. 164 sq.; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 122; Helmut FOLGER (1934), p. 88; Hartmut MADL (1999), pp. 124 sqq.; Benediktiner-Abtei Schweiklberg (s.a.), p. 5. - Generaliter de hac re *cfr* Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II ([2]1992), p. 79; Matthäus KROISS: Abtei Schweiklberg. In: Leuchter III (1990), p. 197; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 30; Godfrey SIEBER (1992), p. 47; Johannes MAHR (2003), p. 127.
Scitū autem dignum esse videtur Coelestinum Maier, cum area monasterialis in colle sita esset, ad materias aedificatorias transportandas funiviam exstruendam curavisse.

lam seminarii benediceret et ipsa schola officialiter instaurari posset.[60] Sicuti in seminario Sancti Ludovici etiam in seminario Swikkersperchiensi primae tres classes inferiores gymnasii docebantur. Discipuli classium superiorum iterum ad seminarium Ottiliense transituri erant. Nam seminaria illorum trium monasteriorum percipiebantur ut unitas cohaerens, cum essent communis res Congregationis et itaque singula ceteris adaptata erant.[61]

Cum seminarii aedificium adhuc esset in statu exstruendi, aestate anni 1906[i] meridionalis pars futuri monasterii exstrui coeptum est, cum numerus mo-

Area aedificatoria monasterii Swikkersperchiensis.
[ASO, archivum imaginum: Schweiklberg.]

nachorum paulatim iam esset auctus.[62] Non solum novi monachi monaste-

---

[60] *Cfr* Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II ([2]1992), p. 79; Helmut FOLGER (1954), p. 88; Benediktiner-Abtei Schweiklberg (s.a.), p. 5; Hartmut MADL (1999), p. 127. - Generaliter de anno 1907[o] *cfr* Matthäus KROISS: Lebensbilder. In: Leuchter III (1990), p. 204; Godfrey SIEBER (1992), p. 49. - Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 185 videtur erravisse annum *1906[um]* indicans, quia tam celeriter ne Ottiliani quidem operari valent.

[61] Sic etiam ex. gr. Decreta capituli generalis anni 1906, decr. XVI, p. 12 (ASO, K.3.1); Constitutiones anni 1913, cap. XXX. decl. 21 (ASO, K.1.1).

[62] *Cfr* Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II ([2]1992), p. 79; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 187; Michael HARTIG (1939), p. 122; Helmut FOLGER (1954), p. 88; Hartmut MADL (1999), pp. 128 sqq. - Generaliter

rium intraverunt, sed - sicut in monasterio Sancti Ludovici - ex abbatiā Ottiliensi saepius monachi sunt missi ad auxilium ferendum, ex quibus nonnulli quŏque Swikkersperchii manserunt. Provisum autem erat aedificium

Monasterium Swikkersperchiense in statu aedificandi.
[ASO, archivum imaginum: Schweiklberg.]

quattuor tabulatorum, quod denique tribus lateribus cavaedium circumdaturum esset. Quamvis instructio interna partis meridionalis aedificii monasterialis nondum omnino confecta esset, tamen eiusdem inauguratio iam die 21° m. Nov. a. 1907° instituebatur.[63] Benedictionem autem praebuit episcopus Passaviensis Sigismundus Felix von Ow, successor Antonii von Henle. Sollemnitatem praeter alios etiam participaverunt abbas Ottiliensis Norbertus Weber et abbas Seccoviensis Ildefonsus Schober.

Sed iam antequam novum monasterium benedictum est, aliquid evēnit, quod recenti fundationi erat magni momenti. Nam abbas Norbertus Weber eodem tempore, quo petiverat, ut monasterium Sancti Ludovici fieret Prioratus, eandem petitionem ad monasterium Swikkerperchiense spectantem Romam

---

de anno 1906° *cfr* Johannes MAHR (2003), p. 127; Godfrey SIEBER (1992), p. 47.

[63] *Cfr* Hartmut MADL (1999), pp. 128 sqq.; Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II ([2]1992), p. 79; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 30; Thomas Graf: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 187; Herbert FOLGER (1954), p. 88. - Michael HARTIG (1939), per errorem diem 21[um] *m. Sept*. a. 1907° indicat.

Abbas Norbertus Weber una cum aliis ante monasterium Swikkersperchiense.
[ASO, archivum imaginum: Schweiklberg.]

miserat. Simili autem documento[64] eodem die ac monasterium Sancti Ludovi-

---

[64] Textum originaliter Latinum affert Herbert FOLGER (1954), p. 111 hunc: *«Ex audientia Sanctissimi 10. Dec. 1906. SS.D.N. Pius X referente me infrascripto S.C.P.F. Secretario, attentis commendationis litteris R.P.D. Abbatis Primatis O.S.B., monasterium BMV sub tit. Auxilium Christianorum Congr. Ottiliensis eiusdem Ordinis, in dioecesi Passaviensi erectum benigne evehere et constituere dignatus est in regularem ipsius Congregationis Ottiliensis Prioratum cum omnibus annexis iuribus et privilegiis quae eiusdem Congregationis Prioratibus competunt; dummodo in eo habeantur quae de iure et a respectivi Ordinis Constitutionibus ad id requiruntur; servatis praescriptionibus Ap. Constitut. f.r. Leonis Pp. XIII quae incipit Rom. Pont. aliisque de iure servandis praesertim quoad observantiam clausurae papalis.»*
Ceterum hōc in conexū adnotandum est monasterium Swikkersperchiense in documento Vaticano adhuc indicari Beatae Mariae Virgini Auxilio Christianorum dicatum esse. Sed iam mense Februario a. 1906[i] propter hŏc nomen difficultates exortae sunt cum Ordinariatū Augustano, quia aliae fundationes monasteriaque in propinquo sita, quibus éadem dedicatio iam erat, questi sunt. Disputationibus etiam cum Norberto Weber habitis abbas Ottiliensis mense Maio a. 1906[i] officialiter annuntiavit in futurum fundationem in Bavariā Inferiore sitam tantummodo monasterium Swikkersperchiense appellandam esse. - De hac re *cfr* Hartmut MADL (1999), pp. 107 sqq.; breviter etiam Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II ([2]1992), p. 84; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 30; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 185. - *Cfr* quŏque supra cap. 3.3.3.1 (adn. 48).

ci, id est die 10º m. Dec. a. 1910º, monasterium Swikkersperchiense in Prioratum conventualem evectum est.[65] Primus eius Prior redditus est P. Coelestinus Maier. Hunc in modum etiam hoc monasterium factum est sui iuris, id quod generale consilium abbatis Norberti Weber erat.[66]

Quod monasterium Swikkersperchiense duobus annis post emptionem fundorum iam in Prioratum evectum est, demonstrat eius bonum atque celerem progressum, qui non solum Coelestino Maier atque patribus fratribusque cooperantibus debebatur, sed etiam curae diligentiaeque abbatis Norberti Weber, qui saepe ipse ad auxilium ferendum adstitit.

Cum monasterium Swikkersperchiense esset Prioratus, paulatim summum tempus erat, ut ecclesia monasterialis exstrueretur.[67] Itaque hŏc inceptum

---

[65] *Cfr* Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II ([2]1992), p. 80; Godfrey SIEBER (1992), p. 47; Herbert FOLGER (1954), p. 89; Hartmut MADL (1999), p. 115; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 69 nr 423. - Solum annum 1906[um] indicant Matthäus KROISS: Abtei Schweiklberg. In: Leuchter III (1990), p. 197; Matthäus KROISS: Lebensbilder. In: Leuchter III (1990), p. 205; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 187; Benediktiner-Abtei Schweiklberg (s.a.), p. 6; Michael HARTIG (1939), p. 122. - In Chronicis Ottiliensibus (m. Oct./Nov.) refertur abbatem Romae fuisse et sequelam huius commorationis in eo fuisse, ut monasterium Sancti Ludovici atque monasterium Swikkersperchiense in Prioratūs evecta essent.

[66] Quod Norberto Weber magni momenti atque cordi erat fundationes Ottilianas revera sui iuris esse atque responsalitate propriā agere, non solum apparet ex petitione, ut in Prioratūs erigerentur, sed etiam ex variis sententiis ipsius. Hōc in conexū mihi etiam scitū digna esse videntur, quae Norbertus Weber in epistulā circulari die 27º m. Iul. a. 1909º datā scripsit (ASO, K.3.1). Ibīdem enim (pp. 4 sq.) asseveravit Congregationem ad unitatem servandam superiorem generalem quidem habere, cui munus esset, quo totum curaret. Tamen etiam alios esse, qui Superiores essent existimandos. Nam imprimis Prioribus monasteriorum filialium necessarium esse, ut res suas libere constituere et disponere possent. Eorum enim praescripta non posse sisti recurrendo ad superiorem generalem. Cum monasteria filialia magis magisque suae potestatis fierent, momentum superioris generalis ibīdem magis recessurum esse.

[67] Mirum autem non est, quod antea ecclesia aedificari non potuit, cum ad tale aedificium exstruendum magna summa pecuniaria sit necessaria et cum in novo monasterio praeterea multae aliae res fuerint faciendae. Tamen ad pecuniam conquirendam anno 1908º P. Coelestinus Maier consociationem condidit, cui nomen «Mariae Auxiliatricis» inditum est. Pecunia hāc consociatione collectă officialiter spectabat ad opera missionaria sustentanda. Hac in re similis erat consociationi Ottiliensi, quae «Opus Caritatis» appellabatur. Tamen pecunia consociationis Swikkersperchensis etiam ad ecclesiam aedificandam adhibebatur. - De consociatione «Mariae Auxiliatricis» *cfr* Hartmut MADL (1999), pp. 144 sqq.; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre



Sollemnitas, qua lapis fundamentalis ponitur.
[ASO, archivum imaginum: Schweiklberg.]

definitive incohatum est die 15° m. Oct. a. 1909°, quo die fundamenta ecclesiae effodi coepta sunt.[68] Tamen sesquialtero anno post ecclesia extrinsecus ita confecta erat, ut usui tradi posset. Hoc sollemniter factum est die 2°

(1939), p. 30; Godfrey SIEBER (1992), p. 50; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 189; Michael HARTIG (1939), p. 122; Matthäus KROISS: Lebensbilder. In: Leuchter III (1990), p. 204.
Scitū dignum est in speciali capitulo, quod ab Kal. Iun. a. 1909° usque ad diem 4um m. Iun. a. 1909° in abbatiā Ottiliensi locum habuit, constitutum esse Swikkersperchiensem consociationem «Mariae Auxiliatricis» percipiendam esse ut consociationem secundariam «Operis Caritatis». Praeterea dictum est in futurum tales consociationes sine assensione capituli generalis non iam condi licere. - *Cfr* Decreta capituli specialis anni 1909i, § 6 (ASO, K.3.1).

68 *Cfr* Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II (²1992), p. 80; Helmut FOLGER (1954), p. 89; Hartmut MADL (1999), p. 132. - Solum annum 1909um indicant Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 30; Benediktiner-Abtei Schweiklberg (s.a.), p. 5; Godfrey SIEBER (1992), p. 47; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 189; Michael HARTIG (1939), p. 122.

m. Mart. a. 1911°.[69] Illo die Prior P. Coelestinus Maier ecclesiam benedixit atque Sanctissimae Trinitati dedicavit.

His rebus magnā ex parte ad effectum adductis monasterium Swikkersperchiense statum bonum atque satis stabilem sibi iam acquisiverat.

4.7.2.2. Monasterium Ottiliense archiabbatiam fieri

Prioratibus Sancti Ludovici atque Swikkersperchiensi satis bene constitutis abbas Norbertus Weber proximum gressum - iam praedeliberatum - facere potuit. Nam totam Congregationem magis stabilire atque eiusdem maiore dignitate totum opus Ottilianum magis promovere ei in animo erat.

Itaque Norbertus Weber die 8° m. Oct. a. 1913° epistulam ad Abbatem Primatem Fidelem von Stotzingen[70] direxit, quā eum rogavit, ut monasteria Sancti Ludovici atque Swikkersperchiense in abbatias erigendas curaret.[71] Praeterea ad petitionem explicandam rettulit singillatim de statū illorum monasteriorum unā ex parte asseverans régimen Bavaricum huic proposito non esse contrarium, alterā ex parte etiam rogans, ut veteri abbatiae Suarzacensi, in quam monasterium Sancti Ludovici transferretur, denuo status abbatiae tribueretur.

Rebus hunc in modum praeparatis Norbertus Weber die 26° m. Febr. a. 1914° petitionem officialem ad Congregationem Religiosorum misit scribens haec:[72]

«Norbertus Weber, Abbas et Superior Generalis Congregationis Ottiliensis O.S.B., ad pedes S.V. provolutus humillime exponit: I. Anno 1901 ab Abbatia

---

[69] *Cfr* Hartmut MADL (1999), p. 143; Helmut FOLGER (1954), p. 89; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 189; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 30; Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II ([2]1992), p. 80. - Solum annum 1911[um] indicant Matthäus KROISS: Lebensbilder. In: Leuchter III (1990), p. 204; Godfrey SIEBER (1992), p. 47; Michael HARTIG (1939), p. 122. - Ceterum haec ecclesia demum die 7° m. Iun. a. 1925° ab episcopo consecrata est.

[70] Fidelis von Stotzingen (1871-1935) erat secundus Abbas Primas Confoederationis Benedictinae. Īdem, qui usque tunc abbas Lacensis fuerat, die 13° m. Aug. a. 1913° munus suum suscepit praedecessore vitā functo. - De eius vitā atque tempore muneris *cfr* ex. gr. Pius ENGELBERT: Sant'Anselmo in Rom. Kolleg und Hochschule. Von den Anfängen (1888) bis zur Gegenwart. St. Ottilien [2]2012, pp. 74 sqq.

[71] *Cfr* Norberti Weber epistula die 8° m. Oct. a. 1913° ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, A.2.2.1).

[72] Norberti Weber epistula die 26° m. Febr. a. 1914° ad Congregtionem Religiosorum directa (ASO, A.2.1.2, ASO, K.5.3). - Textus originaliter Latinus.

Ottiliensi fundatum est Monasterium S. Ludovici apud Wipfeld, in dioecesi Herbipolensi, quod dein anno 1906 S. Sedes in Prioratum conventualem benigne erexit. A quo tempore, Deo novam fundationem benedicente, monasterium et vita monastica florere coeperunt, ita ut nunc in dicto Prioratu adsint: 13 monachi sacerdotes, 10 monachi clerici, 27 fratres laici professi et 9 Novitii laici necnon 70 alumni. Secundum Constitutiones Congregationis Ottiliensis, quae ad erigendam Abbatiam 12 monachos chori sollemniter professos praescribunt,[73] *sufficiens numerus Religiosorum adest apud S. Ludovicum, ut possit Abbatia proclamari. - Quum vero prope ipsum Monasterium fundus requisitus pro Abbatia emi non poterit, Orator antiquum Monasterium Münsterschwarzach, titulo Abbatiali iam pridem condecoratum, sed tempore sic dictae «saecularisationis» suppressum, redemit una cum fundo 400 iugerorum agri, ea intentione, ut illic transferatur familia monastica S. Ludovici.*

Petit igitur humilis Orator, ut S.V. monasterium Münsterschwarzach denuo qua Abbatiam confirmare dignetur cum omnibus iuribus et privilegiis Abbatibus Congregationis Ottiliensis competentibus, translato eo conventu Prioratus S. Ludovici, ita tamen, ut Prioratus S. Ludovici remaneat Prioratus, non amplius conventualis sed simplex, ab Abbatia Münsterschwarzach dependens, usque dum data opportunitate pretio aequo vendi possit.

II. Item exponit, quod anno 1904 ab eadem Abbatia Ottiliensi fundatum fuit monasterium B.M.V. apud Schweiklberg, in dioecesi Passaviensi, ac anno 1907[74] *item ad Prioratum conventualem evectum. Quum ibidem nunc degant 12 monachi sacerdotes, 1 monachus clericus, 19 Fratres laici professi et 10 Laici novitii cum 70 alumnis, in votis est Oratori, ut etiam hic Prioratus, ad quem pertinent 350 iugera agri, Abbatiae titulo augeatur.*

Sane erectio horum Prioratuum in Abbatias non tantum maiorem dignitatem ipsis afferret, sed in magnum familiarum istarum bonum verteretur, easdem magis consolidans vocationesque plures ipsis adducens.»

Congregatio Religiosorum petitioni assensa est et Abbati Primati facultatem tribuit, quā abbatias illas erigendas curaret. Id quod īdem decreto die 12º m. Mart. a. 1914º dato fecit. Sic monasteria in Bavariā fundatā sub aspectū

---

[73] Abbas Norbertus Weber curaverat, ut nonnulli monachi monasterii Ottiliensis stabilitatem suam ad monasterium Sancti Ludovici, alii ad monasterium Swikkersperchiense transferrent, ita ut illis in coenobiis conveniens numerus patrum sollemniter professorum ad abbatiam erigendam adesset.

[74] Videtur mendum descriptionis esse, cum monasterium Swikkersperchiense anno 1906º quŏque in Prioratum evectum sit.

ecclesiastico abbatiae iam facta sunt. Prioratus autem Sancti Ludovici in modum Prioratūs simplicis cum abbatiā Suarzacensi coniunctus mansit.

Sed restabat approbatio regiminis Bavarici. Tamen duabus septimanis post haec appropatio etiam allata est. Documento Kalendis Aprilibus a. 1914° dato confirmabatur fundationes Ottilienses Suarzacensem et Swikkersperchiensem abbatias factas et itaque sui iuris esse probari et denique coniunctionem illarum trium abbatiarum, id est Ottiliensis, Suarzacensis atque Swikkersperchiensis in Congregationem Bavaricam Ordinis Benedictini sub archiabbate Ottiliensi ratam fieri.[75]

Abbas Placidus Vogel [ASO, archivum imaginum: Schweiklberg.]

Sic unō haustū Bavaricae fundationes filiae factae sunt abbatiae atque matricoenobium Ottiliense redditum est archiabbatia.[76] Ex illo tempore Norbertus

---

[75] *Cfr* documentum ministerii Bavarici rerum internarum ad condiciones ecclesiasticas scholaresque spectantium Kal. Apr. a. 1914 datum (ASO, A.2.1.2, ASO, K.5.3).

[76] De erectione abbatiarum *cfr* Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.): Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben. 11. Weissenhorn 1976, p. 339; Suso BRECHTER: Mönch und Missionar. Erzabt Norbert Weber OSB zum Gedächntis. In: Die katholischen Missionen 75, 1956, p. 115; Viktor DAMMERTZ: Die staatskrichenrechtliche Grundlegung der Kongregation von St. Ottilien. In: Leuchter I (^{2}1972), p. 352 adn. 25; Johannes MAHR (2003), p. 137; Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 89 sq.; Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 64; Gabriel VOGT: Münsterschwarzach. In: Leuchter III (1990), p. 115; Leander BOPP (1952), p. 64; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), pp. 27, 30; Godfrey SIEBER (1992), p. 41; Stephan AMON (1951), p. 509; Carl WOLFF: Münsterschwarzach. In : Lumen Caecis (1928), p. 310; Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 80; Matthäus KROISS: Abtei Schweiklberg. In: Leuchter III (1990), p.197; Matthäus KROISS: Lebensbilder. In: Leuchter III (1990), p. 205; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 191; Michael HARTIG (1939), p. 122;



Abbas Coelestinus Maier.
[ASO, archivum imaginum: Schweiklberg.]

Weber titulum quŏque habuit archiabbatis. Maximo cum gaudio haec omnia in singulis abbatiis Congregationis percepta et celebrata sunt.[77]

Norbertus Weber monasteriis abatiis factis abbatem monasterii Suarzacensis nominavit P.rem Placidum Vogel, abbatem monasterii Swikkerperchiensis reddidit P.rem Coelestinum Maier.[78]

Denique necessarium erat, ut novi abbates benedicerentur. Primus erat Placidus Vogel, qui die 16° m. Apr. a. 1914° in ecclesia monasteriali Sancti Ludovici ab episcopo Herbipolensi Ferdinando von Schlör benedictionem abbatialem accepit.[79] Abbas Placidus Vogel demum die 22° m. Sept. a. 1914° definitive in abbatiam Suarzacensem transmigravit.

Herbert FOLGER (1954), p. 89; Hartmut MADL (1999), p. 151; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 79 nr 493, 494.
Qualem diem (sive 12um m. Mart. a. 1914° sive Kal. Apr. 1904°) singuli auctores litteraturae indicent, dependet, utrum ad documentum Vaticanum an ad documentum regiminis recurrant.

77 *Cfr* Chron. Ottil. m. Apr. a. 1914, ubi praeter gaudium etiam ioci de die, quo documentum regiminis datum est (id est Kalendis Aprilibus), fiunt.

78 Num Norbertus Weber hŏc iure fecerit, paululum addubitandum est, cum abbates ab conventū monasterii sui sunt eligendi. Hoc etiam legitur in Ottilianis Constitutionibus anni 1913, cap. LXIV, decl. 77, p. 89 (ASO, K.1.1).

79 *Cfr* Missionsblätter 18, 1914, pp. 262, 273 sqq.; Adelhard KASPAR: Münsterschwarzach. In: Leuchter II (^{2}1992), p. 65; Gabriel VOGT: Münsterschwarzach. In: Leuchter III (1990), p. 118; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 27; Stephan AMON (1951), p. 509; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 79 nr 493. - Godfrey SIEBER (1992), p. 41 die non indicato scribit Placidum Vogel abbatem esse electum, quod facto non convenit.

Secuta deinde est sollemnitas P.ris Coelestini Maier. Eidem die 24º m. Maii a. 1914º [80] episcopus Passaviensis Sigismundus Felix von Ow magnā sollemnitate benedictionem abbatialem praebuit.[81]

Hi eventūs erant culmen quoddam, ad quod abbas Norbertus Weber Congregationem, cui praeerat, illis duodecim annis, quibus munere abbatis fungebatur, duxerat. Tamen omnia tantummodo multis praedeliberationibus atque omnibus patribus fratribusque plurimum laborantibus effecta sunt.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 192, 2013, pp. 157-185.]

[80] Dicitur Coelestinus Maier hunc diem specialiter atque consulto sibi elegisse ad benedictionem abbatialem accipiendam, quia eodem die festum Mariae Auxilii Christianorum celebrari solebat.

[81] *Cfr* Missionsblätter 18, 1914, pp. 280 sqq.; Dietram FÄRBER: Schweiklberg. In: Leuchter II ([2]1992), p. 80; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 30; Thomas GRAF: Entwicklung Schweiklberg. In: Lumen Caecis (1928), p. 191; Michael HARTIG (1939), p. 122; Hartmut MADL (1999), p. 151; Paulus WEISSENBERGER (1953), p. 79 nr 493.